



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xxxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De illo qui propter cupiditatem Iudæum interfe-
cerit. Cap. XXXIII.

Qui odij meditatione vel propter cupiditatem Iu-
dæum, vel paganum occiderit, quia imaginem Dei,
& spem futuræ conuersionis extinxerat, XL. dies
in pane & aqua pœniteat.

Ex concil.
Moguti.
cap. 6.

De parricidis & fratricidis. Cap. XXXIII.

Statuimus, ut parricidæ & fratricidæ per vnus anni cir-
culum ante fores Ecclesiæ orantes domini clementiam
perseuerent. Cōpleto anni circulo introducantur, in Ec-
clesiam, tamen inter audientes, vsque dum vnus anni spa-
tium finiatur, stent. His itaque peractis, si pœnitentiæ fru-
ctus in eis conspicitur, corporis & sanguinis domini par-
ticipes fiant, ut non obdurentur desperatione. Carnem
non manducent omnibus diebus vitæ illorum, Ieiune-
nt autem vsque ad nonam quotidie, exceptis festis diebus at-
que dominicis. Abstineant autem se à vino, medone, at-
que mellita ceruisia, tres dies per hebdomadā. Arma por-
tare non audeant, nisi contra paganos. Et vbicunque ire
maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedibus pro-
priis pergant. Ab vxoribus si habuerint non separentur.
Tempus autem huius pœnitentiæ in episcoporum ponimus
arbitrio, ut secundum conuersionem illorum, aut exten-
dere, vel minuere yaleant.

Ex concil.
Triburi.
cap. 5.

De eadem re. Caput XXXV.

Parricidium autem quàm sit detestabile crimē, iudicio
facto inter Cain & Abel fratrem suum dominus ipse
ostendit, cum ad Cain parricidam ait: Maledictus eris su-
per terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem
fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non da-
bit tibi fructus eius, & vagus & profugus eris super terrā.
In quo etiam posuit signum, ut tremens & gemens & pro-
fugus semper viueret, nec auderet vsquam sedes habere
quietis. Sed quia modernis temporibus parricidæ profugi
discurrunt per diuersa loca, & variis vitiis atq; iugulæ ille-
cebris diseruiunt, melius nobis videtur, ut in vno loco ma-
nentes pœnitentiā districta semetipsos castigēt, si fortè à dñi
pietate indulgētiā facinoris sui percipere mereātur. Non

Ex concil.
Moguti.
cap. 11.

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, & nuptiis atq; coniugij copula uti, quia sacri canones hoc eis non consentiunt.

De illis qui infantes suos non sponte interficiunt.

Caput XXXVI.

*Ex cõcil.
Triburi.
cap. 21.*

SI quis filium suum non sponte occiderit, iuxta homicidia non sponte commissa pœniteat.

De illo qui uxorem legitimam sine iudicio interfecerit. Cap. XXXVII.

*Ex decre.
Pij papa.
cap. 26.*

QUicumque propriam uxorem absque lege, vel sine causa & certa probatione interfecerit, aliamque duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiã. Et si contumax fuerit, & episcopo suo inobediens extiterit, anathematizetur, quousque consentiat. Eadem lex erit illi, qui seniore[m] suum interfecerit.

De eadem re. Cap. XXXVIII.

*Ex cõcil.
Moguti.
cap. 1.*

SI maritus uxorem, aut uxor maritum interfecerit, ac iudicium sit super eos, dicente domino: Non confidetes personam pauperis, nec honores vultu potentis. Et post pauca: Ita, inquit, paruum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudiciu[m] est. Idcirco vterque eorum in huiuscemodi criminis actione negauerit, pari iudicio examinetur. Si negauerit & non potest vinci manifestis indiciis, si liber est, iuret cum duobus cim: si seruus, feruenti ferro se purget. Sin autem uxor moriens maritum vno vel duobus audientibus de morte eius inculpauerit, non ideo erit victus, sed si liber est, cum LXII. iuret: si seruus, super XII. vomeres feruentes se purget. Eadem lex erit marito, uxorem accusanti.

De eadem re. Cap. XXXIX.

*Ex concil.
Elbertã.
cap. 85.*

SI mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacunque arte perimere facit, quia dominum & seniore[m] suum occidit, seculum relinquat, & in monasterio pœniteat.

De eadem re. Cap. XL.

*Episto.
Paulini*

Admonere te cum lachrymis & multo gemitu curam filii. Hei tulle, si tamen filius dici debeas, qui tam